



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Difficile conciliantur Ordinarij Concionatoris & Prouencialis officia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

1564.

*Dilinganos so-  
cios consolatur.**...**Difficile concii-  
antur Ordi-  
narij Concio-  
natoris, &  
Prouincialis  
officia.**...**...**...**...**...**...**...**...**...**...*

nem concionis nonnullam attulit, Dilingam ex-  
currit ad constitutionem domesticæ disciplinæ,  
cum in recenti Colonia, & magna magnorum  
laborum varietate non deessent, quos humani  
imbecillitas fatigaret. Habuit per aliquot die-  
bus singulis prouidus Pater paternas, ac reli-  
giosas cohortationes: adhibuit, & sermones pu-  
uatos: erexit afflictos: incitauit bene currentes:  
tum deniq; Collegium rectè composuit magnum  
cum animi sui, tum sociorum gaudio, commu-  
nique gratulatione. Eodem postea modo ex-  
cursus est ad Collegia, ac subinde recurrit ad  
Augustam, & statas ad populum conciones in-  
terferens, Ingolstadij quoque, atq; Monachij  
inspexit, & ordinauit, omnibus factus omnino  
quoad conuitendo assequi poterat, duo inter  
diuersa munera, vagum, & quasi ambulatorium  
Prouincialis Præpositi cum statario, ac fixo ordi-  
narij Ecclesiastæ concilians. Nec vllum ærum  
si genus operis è pietatis re offerebatur, ad quo  
Caritas illa interrita, & immensa non protinus  
exardesceret. Versabatur in summo discrimine  
Bauariâ Inferior, tumultuantibus populis Calicem  
impetrandi libidine, & ad Concionatorem O-

*...**...**tembu*

temburgensis Comitibus confluebant turbulentis declamationibus per nomen liberandæ conscientia seditionem cientem. Ei periculo vt succurreret Dux Albertus, aliquot de Societate impigros, minimeq; timidos sacerdotes poposcit, qui fluctuantem prouinciam apostolico ritu, ac spiritu percurfarent. Erat expeditio sanè periculosa inter tumultuantes rusticos; erat plena ærumnarum: eadem tamen foecunda spei, opimam animarum promittens segetem. Eo Canisius, cui laborum ex æquo, & animarum sitis suam ante omnes ad id muneris operam detulit, modo Augustani com meatum darent. Sed Dux ipse, eiusq; consiliarij demirati constantiam, & alacritatem, profectio, & opere obstitere, differentes nequaquam eo tempore deserui Augustam oportere: sed veriti, opinor, Reipublicæ tantum columen grauiorem in casum offerre.

*Zelus Canisij,  
& animi mansuetudo.*

Verum enim vero non fuit procul, ac foris quærenda crux militi, præconi q; Crucis. Indignatus acerrimè Satan optatissimum tot annorum in clarissima illa Ciuitate pietatis successum, q per satellites suos manifestos sæpe tentarat, nec vnquam tenere adhuc potuerat, vt præclaro ali-

*Exercetur eius  
patientia, &  
mansuetudo.*